



Gibuldus apud Germanos proximè Danubiũ
 habitantes fortitudine sua magnum nomen
 comparauit, Anno quadringentesimo septuagesi-
 mo. Itaq; illi sibi eum unanimi uoluntate regem ele-
 gerunt. Eo tempore S. Seuerinus apud Noricos &
 Boios magna diligentia Christum prædicabat, at-
 que Idolorum cultum destruebat. Itaq; Gibuldus
 Batauiam inuasurus cum exercitu eò properat, at-
 que interim simulabat, sese cum S. Seuerino quæ-
 dam collaturum. Ne itaq; urbs tanti regis aduentu
 diriperetur, Seuerinus Gibuldo obuiam procedit,
 & ipsum tanta constantia alloquitur, ut rex eius au-
 thoritate permotus, iter inceptum reliquerit, atq;

abiens S. Seuerino optionem aliquid postulandi dederit. Tum Seuerinus nil
 aliud petisse dicitur, quam ut Gibuldus suam gentem à Romanorum infesta-
 tione cohibeat, pacem cum Romanis seruet, & ipsis captiuos condo-
 net. Id quod rex liberaliter præstitit, & pacificus do-
 mum rediit. Auent. lib. 2.